



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 101. Marci Antonii Columnæ Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

cum ditionis suæ regimen, vi cuius leges a Clemente VII. Gregorio XIII. Pio IV. & V. Prædecessoribus suis latas confirmans e ditione ecclesiastica omnis generis frumenta, vel animalia exportari, aut sal exterum intra eandem ditionem distrahi indictis gravibus pœnis prohibuit. Tertio diplomate die decima Octobris edito Clemens pro Novitiis Ordinis Sancti Basilii tres domos assignatis proventibus in Italia instituit. Denique die vigesima Decembris quarta constitutione omnia privilegia, & gratias, quæ a prioribus Romanis Pontificibus non modo Fratibus Minoribus de observantia, & Sanctæ Claræ Monialibus, sed etiam tertio de pœnitentia Ordini Sancti Francisci concessa fuere, innovabat, rataque habebat, dummodo tertii Ordinis Religiosi utriusque sexus communi vitæ consortio sub tribus solemnibus votis vivant, atque aliunde hæc privilegia nec Concilio Tridentino, nec Fratrum Reformatorum decretis adversentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1597.

§. CI.

Marci Antonii Columnæ Cardinalis obitus.

Ex Cardinalibus, quos mortis invidia hoc anno vivorum consortio eripuit, nonnisi duo reperiuntur, quos inter pri-
 Ciacon. to. 3. p. 946.
 Ughell. Ital. Sacra. Aube-
 ry vie des

Sæcul. XVI.

A.C. 1597.

*Cardin. Sac-
chin Hist.
Soc.*

mus erat Marcus Antonius Columna patria Romanus, in quo generis nobilitas, raræque corporis dotes cum singulari morum integritate, virtutum studio insigni eruditione, summaque in rebus gerendis dexteritate semper pia quadam æmulatione certare videbantur: his vero meritis jam in juventute clarus a Pio IV. Tarentinus Archipræsul electus, ibidem Seminaria erexit, Synodum celebravit, demum ad Tridentinam Synodum decretus, singularis doctrinæ, Religionis, ac prudentiæ specimen ediderat: inde vero reversus in meriti præmium ab eodem Papa Cardinalis Presbyter titulo Basilicæ Sanctorum duodecim Apostolorum nominabatur: die autem decima tertia Octobris anno millesimo quingentesimo sexagesimo octavo a Pio V. ad Salernitanum Archiepiscopatum translatus, Seminarium a suo Prædecessore inchoatum perfecit, celebratoque provinciali Concilio sub annum Domini millesimum quingentesimum septuagesimum quartum Archiepiscopatum suum dimisit: porro postea sub Gregorio XIII. Presbyter Cardinalis nominatus relicto priori titulo illum Sancti Petri ad vincula, & demum Sancti Laurentii in Lucina adoptabat, regnante vero Sixto V. Prænestinus Episcopus Piceni, & Campaniæ Legationem tam sub Gre-

Sæcul. XVI.
A. C. 1507.

Gregorio XIII, quam ejus Successore Sixto V., cui percharus erat, cum summa justitiæ, & mansuetudinis laude obiit: insuper præficebatur librorum prohibitorum Indici, necnon Vaticanæ Bibliothecæ, pariterque tanquam Belgicarum Provinciarum Protector virtutes, & merita Divi Didaci discutere jussus, relationem de vita, & miraculis ejusdem Sancti edidit. Præterea in Comitibus Apostolicis Gregorii XIV. Urbani VII. Innocentii IX. & Clementis VIII. tantam prudentiam, gravitatem, integritatemque exhibebat, ut nil propius esse videretur, quam ut plurium Patrum consensu ad supremam Ecclesiæ dignitatem eveheretur. Obiit tandem meritis plenus Zagarolæ in Diæcesi Prænestina feria tertia die decima tertia Maji, sepultusque fuit in monasterio Sanctæ Mariæ Ordinis Sancti Francisci. Ceterum præclarus hic Præsul tot summæ pietatis, & liberalitatis monumenta reliquit, ut merito in hanc usque diem pene regia illius erga omnes pios, doctos, & pauperes liberalitas, & nunquam exhausta benignitas ab omnibus deprædicetur. Scripsit etiam sacras orationes, pluresque epistolas ad diversos.